

deinde sortitus est Macedoniam, ex qua rediens obiit (Suet. Aug. 4 al.). Titulos N. 47—49 ad sacrarium aliquod domus Augustae, in quo imagines stirpis imperatoriae coniunctarumque familiarum propositae fuerint, putat Mommsenus.

48 C. Iulius L. f. Caesar | Strabo, | aed. cur., q., tr. mil. bis, Xvir agr. dand. adtr. iud., pontif.

Romae, saec. XV et XVI in pariete quodam iuxta forum Augusti saepius descripta (VI 1510). Cf. Mommsen C. I p. 278, IV. — De hoc viro, in litteris non minus quam in re publica claro, passim memorato a Cicerone, cf. praeter alios Teuffel Lit. §. 155, 5. Occisus est a. 667.

49 M. Livius M. f. C. n. Drusus pontifex, tr. mil., Xvir stlit. iudic.¹, tr. pl., Xvir a. d. a. lege sua et eodem anno Vvir a. d. a. lege Saufe[i]a, in magistratu occisus est.

Romae, loco accuratius non definito (VI 1512 ad exemplum unicum factum saec. XVI, vv. non divisis). Cf. Mommsen C. I p. 279, VII. — Pertinet ad celebrem tribunalum plebis a. 665, de cuius legibus cf. Liv. ep. 71, Appian. b. c. 4, 55, de vir. ill. c. 66. Saufeius videtur fuisse collega Livii in tribunatu. — 1) Quaestura et aedilitas, quibus functum esse Livium tradit auctor de viris ill. c. 66, absunt fortasse culpa descriptoris.

Elogia fori Augusti. — Elogia Arretina.

Augustum Romae in foro nominis sui dedicavisse statuas clarorum virorum, ducum potissimum et triumphatorum, additis gestis, tradunt auctores (cf. Mommsen I p. 281 seq.). Horum ipsorum elogiorum pauca tantum fragmenta ad nos pervenerunt, plurimum servata sunt exempla quae lapidibus insculpta Arretii cives apud se collocare voluerunt. Ita enim explicandum esse, quod elogium C. Marii N. 59 paene totum repertum sit in lapide Arretii, pars autem eius in alio lapide Romae, olim vidit Morcellius. Nuper autem etiam Appii Claudii et Q. Fabii Maximii elogiorum, antea ex Arretinis tantum lapidibus notorum, frustula reperta sunt Romae in ipsis fori Augusti ruderibus (v. N. 54, 56). — Num in aliis quoque oppidis Italiae provinciarumque elogia fori Augusti repetita sint, adhuc non constat. Sane similis elogii fragmentum prodiit Carthagine (Eph. ep. 7, 178). Item similes sunt tituli Pompeiis reperti Aeneae et Romuli (infra N. 65, 64), quos et ipsos ex titulis urbanis fori Augusti expressos esse coniecit Mommsen.

50 M'. Valerius | Volusi f. | Maximus, | dictator¹, augur. Primus² quam | ullum magistratum gereret, | dictator dictus est. Triumphavit | de Sabinis et Médullinis. Plebem | de Sacro monte déduxit, gratiam | cum patribus reconciliavit; faenore gravi populum senátus, hoc | eius rei auctore, liberávit. Sellae | curulis locus ipsi posterisque | ad Murciae spectandi caussa datus | est. Princeps in senatum semel | léctus est.

Arretii rep. a. 1688 ibique extat (XI 1826). Illustravit Mommsen I p. 284 n. XXIII. — 1) A. 260 (cf. Liv. 2, 50, 4 seq. al.). — 2) Scr. prius. — Pendere a Valerio Antiate huius elogii auctorem probare studuit O. Hirschfeld Philol. 54 (1876) p. 83 seq.